

VERSION LATINE

Éloge du corps humain

Ad hanc prouidentiam naturae tam diligentem tamque sollertem adiungi multa possunt e quibus intellegatur quantae res hominibus a dis quamque eximiae tributae sint. Quae primum eos humo excitatos, celsos et erectos constituit, ut deorum cognitionem caelum intuentes capere possent. Sunt enim ex terra homines non ut incolae atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque caelestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Sensus autem interpretes ac nuntii rerum in capite tamquam in arce mirifice ad usus necessarios et facti et collocati sunt. Nam oculi tamquam speculatores altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere ; et aures, cum sonum percipere debeant qui natura in sublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatae sunt ; itemque nares et quod omnis odor ad supera fertur recte sursum sunt et quod cibi et potionis iudicium magnum earum est non sine causa uicinitatem oris secutae sunt. Iam gustatus, qui sentire eorum quibus uescimur genera debet, habitat in ea parte oris qua esculentis et potulentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore aequabiliter fusus est, ut omnes ictus omnesque minimos et frigoris et caloris adpulsus sentire possimus. Atque ut in aedificiis architecti auertunt ab oculis naribusque dominorum ea quae profluentia necessario taetri essent aliquid habitura, sic natura res similis procul amandauit a sensibus. Quis uero opifex praeter naturam, qua nihil potest esse callidius, tantam sollertiam persequi potuisset in sensibus ?

Cicéron, *Sur la nature des dieux*